I. Bugen: hag. Pom:

In vigilia publicanorum et filii prodigi, hoc
est Sabbatho quando Dominica sequenti pre
dicatur Euang. Luce XV de publ: et pecc:
appropinquantibus ad Jesum etc. quod ego tunc
predicavi, et in vespera eiusdem Dominice
Euangelium de filio prodigo. Erat autem illud Sab
bathum post festum visitationis Mariae (quod
ceciderat in 3 feriam) Anno Domini MDXXVII
In hac inquam vigilia sive Sabbatho, mox
h. e. mane precedenti contigerat D Martino
gravis tentatio spiritualis, qualis saepe legitur
in psalmis. Contigerat autem nunc gravior
quam antea nonnunquam, quam alteram
dicebat coram D Jona, D Christiano, et mihi con
fessus est, multo graviorem fuisse, quam
illam corporalem aegritudinem, quae Pomeridia
no tempore eiusdem Sabbathi subsecuta est.
quae tamen videbatur ad certam mortem ur
gere, Sed nec eam ipsam quidem corpora
lem aegritudinem sibi videri dixit naturalem
fuisse. Immo potius colaphum fuisse Sathanae